

Post Eunomianos iam natos & notos, post annum à Domino passo 331. Nec diu tamen floruisse, vel propagata perdurasse. Verum enim est illud quod omnes Ecclesiæ retinebant, Deum Patrem, non antè Deum quām Patrem fuisse, sed ab æternō & Patrem & Deum fuisse, Filiūmque sibi ὁμούσιον genuisse. Sed tanti est vel vno Satanæ hali- tu licet leuissimo afflatum fuisse, illūmque semel hausisse. Huius hæreseos etiam Isidorus meminit, sed breuiter.

CAPVT LXXXI.

Luciferiani cur sic dicti. Erroris autem eorum
caput vnum relatūm.

Luciferianos à Lucifero¹ Caralitano Epi-
scopo exortos, & celebriter nominatos, nec
Epiphanius, nec Philaster inter hæreticos
posuit, credo tantummodo schisma, non hæ-
resin eos condidisse credentes. Apud quendam tamen,
cuius nomen in eodem eius opusculo non inueni, in hæ-
reticis Luciferianos positos legi, per hæc verba, Lucife-
riani, inquit, quum teneant in omnibus catholicam ve-
ritatem, in hunc errorem stultissimum prolabuntur, ut
animam² dicant ex transfusione generari, eandemque
dicunt & de carne, & carnis esse substantiam. Vtrum
ergo iste propter hoc quod de anima ista sentiunt, si ta-
men verè ita sentiunt, eos inter hæreticos ponendos esse
crediderit, an etiamsi id non sentirent, siue non sen-
tiant, ideo tamen sint hæretici, quia dissensionem suā
pertinaci animositate firmarunt, alia quæstio est, neque
hoc loco mihi videtur esse tractanda.